

HEN. GLAREANI

In hac est Ninus urbs ædificata à Nino Beli filio.

Media terminatur à septentrione Hyrcano siue Caspio mari, ab occasu maiore Armenia & Assyria, à meridie Perside, ab ortu Hyrcania & Parthia. Horum etiam imperium olim magnum fuit, & ab Assyrijs tralatum. Porrò regum Persarum domicilium erat æstiuo tempore Ecbatanis in Media, Hyberno in Perside.

Susiana habet à septentrione Assyriã, ab occasu Babyloniam, ab ortu Persidẽ, à meridie Persicũ sinũ. Huius regionis metropolis sunt Susa.

Persis terminatur à septentrione Media, ab occasu Susis, ab ortu Carmanijs duabus, à meridie sinu Persico. Hi à Medis in se & Susa retulerunt regnum. Quorum nomen & lingua etiamnũ toto oriente clarẽt.

Parthia ab occasu habet Medos, à septentrione Hyrcaniã, ab ortu Ariam, à meridie desertam Carmaniam. Hi omniũ orientaliũ maxime Romanorũ impium, cum potissimũ florerent Romani, retulerunt.

Sexta Asiæ
tabula.

Arabia felix à septentrione habet Petream atq; desertam Arabias, ab occasu sinum Arabicum, à meridie mare rubrum, ab ortu sinum Persicum & mare rubrum. In hac Saba est, & nostra ætate Mecha, domicilium Machumeti.

Hyrcania terminatur à septentrione Hircano pelago, ab occasu Media, à meridie Parthia, ab ortu Margiana, ferax natio Tigridum. Vnde illud Vergilij Aene. 4. Hyrcanæq; admorunt ubera Tigres.

Deserta Carmania habet ab occasu Persidem, à septentrione Parthiam, ab ortu Ariam, à meridie alteram Carmaniam.

Carmania altera terminatur à septentrione Carmania deserta, ab ortu Gedrosia, ab occasu Perside & Sinu Persico, à meridie Indico pelago. Hæ duæ nationes nihil memoratu dignum habent.

DE MARGIANA, BACTRIANA, SOGDIANA, Sacis, duabus Scythijs, ac Serica, CAP. XXXVIII.

Septima Asiæ
tabula. **M**Argiana habet ab occasu Hyrcaniã, à septentrione Seythiã
intra Imaum montem, à meridie Ariam, ab ortu Bactrianã.

In ea